
26

# ORATIO DE LAVDIBVS S. D. N. PAVLI V. PONT. OPT. MAX.

Habita FLORENTIAE initio Pontificatus ipsius pro gratiarum actione, in Sacro Sanctissimæ Trinitatis templo, Nonis Iunij.

A. D. GERMANO RVINO Ord. Vallisumbrosæ S. Io. Gualberti vtriusq; iuris Doctore, Metaphysicę primùm, ac Philosoph æ Moralis, deinde verò Sac. Theologię in almo Ticinensi Gymnasio primario professore.





FLORENTIÆ, Apud Franciscum Tosium. MDCV.

*Superiorum non sine consensu.*

# ILLVSTRISSIMO D. ROBERTO VBALDINIO.

Optimo heroicarum virtutũ cultori, & Reuerendiss. S. D. N. Papæ Cubiculario.

*D. Germanus Ruinus. S. P. D.*



APIENTIVM approbatũ, & vsitatum secutus morem, qui maximorum inclytam virorum virtutem admirati, etsi nulla inter eos familiaritatis, vel amicitiæ intercedit consuetudo, eosdem tamen ob honoris debitam virtuti solutionem, nuncupationũ notis, & litterarũ monumẽtis consueuerũt appellare. Eodem pacto (Roberte Vbaldini generis splendore, & omnigenum litterarum candidissime) fortunato, ac tuarum altissimarum virtutum secundo Neptur o, ac rumore fortiter excitatus, & vehementer impulsus, Orationẽ quam de amplissimis Beatissimi PAVLI V. PONT. OPT. MAX. Laudibus composui, & Florentię nuper habui, tuo clarissimo donare, ac dicare non addubitaui nomini. Ipsa quidem præter eximias eiusdem

Sum.Pont. laudes,& de Florentia,& de Ciuibus,& de Serenifs. Mag. Duce Ferdinãdo,& de Leone XI. a tuo culo tuo magno nõ nihil agit, vnde tibi optimo iure deberi videbatur: Nam & Florentinus es, & ciuis in primis nobilissimus, tua enim Vbaldinia domus à Caroli Magni stirpe descendit, vt ipse in suo testatur diplomate, & semper extitit, non dum illustri Mugellij, & Apennini Alpium dominio, quo S. R. Ecclesiam fortiter est tutata, sed & plurium Prælatorum, ac precipuè Cardinalis Octauiani Vbaldinij totius Italiæ legati de latere, qui, recuperata Parma contra Federicum secundum, & conciliata Mutina cum Bononia totam Romandiolam S. R. E. iterum acquisiuit, atq; adiunxit. Originario deindé sub eiusdem Serenifs. Mag. Duc. Ferdinandi Dominio, & Etruscæ Prouinciæ circumsepto, ac solido ortus, & natus es solo, quemadmodum & ego, vnde & satis possumus gloriari ambo nõ solùm de illius Serenissima iurisditione, & imperio, sed quia etiam nostra hæc Tusciæ religiosissima regio, antiquorum Romanorum puriorem,& nitidiorem retinet sanguinem, cum præ alijs magnæ Hesperiæ regionibus minorem diuersarum,exterarumq; nationum passa sit mixtionẽ, atq; confusionem. Accedit, quod sicut Leoni XI. á secretis fuisti gratissimus, & magno apud ipsum in honore, & pretio, vt sæpæ ex eius ore audierunt multi, ita apud S. D. N. Paulum V. nunc primus, intimus & carissimus existis Cubicularius. Vnde tantùm tuo dignissimo nomini mea hæc, vt vides, nuncupanda, & sacranda erat oratio. Nam sicut alij alijs (iusti-

tia

tia ipsa sic distribuente) propter magnam sacrarum litterarum scientiam laudum tribuunt coronam; Alij alijs ob eminentem vtriusq; iuris peritiá ingentia erigunt deaurata monumenta; Alij alijs ob insigne Philosophiæ, & cæterarum liberalium artiú studium lapideas, vel æreas in plateis collocant statuas; ita ipse tibi, in quo omnia hæc strictissimo sunt coniuncta vinculo, omnia pariter donorum supradicta pręmia tribuo, erigo, colloco, potius laudum tuarum testimonia in hominum pectoribus tractanda relinquens quàm in illorú auribus & linguis meo tenuissimę tubæ spargens sono. Qua iam receptui canens, patiaris obsecro pro tua in omnes litterarú amatores propensione, & solita regalis ingenij tui benignitate, tuiq; Leonis XI. suaui recordatione, & vera Pauli V. nunq; satis laudata commendatione, vt sicut in arcubus triumphalibus, vt nobiliores, & augustiores magis euadant, aliquæ maiorum superimponuntur imagines, & simulacra, sic & meo ignobilis, & impolitæ orationis arcui tuá superimponam imaginem, tuum eleuem simulacrum, tuum clarissimú faciam prælucere nomen, tuos radiorum fulgentissimos inducam splendores, tuum deniq; implorem patrocinium, quo me à maleuolis defendas, & in eorum, qui te ex animo colunt, atq; obseruant numerum ascribere non dedigneris. Vale.




PAVLVS.V.P.O.M. BVRGHESIVS
CREATVS DIE.XVI. MAII. MDCV.



*ERIVCVNDVM ( Illustrissime, & aequissime Praetor, Magistratus integerrime, admodum Reuerendi Patres, & , quot quot adestis, nobilissimi auditores ) gratulationis, laetitiae, atq; exultationis plenum, & redundans hodiè mihi se se offert argumentum, magna dicendorum festiua, r ferta indicitur, paratur copia, & habendae orationis ampla, insignis, & celebris apponitur, & suscipitur prouincia. Dicturus enim sum de ingentibus, & egregijs Pauli V. in Summum Pontificem nuper electi laudibus, atque praeconijs: de incredibili eligentium sapientia, iustitia, & integritate: de summa deniq; laetitiae meae, & totius Vallimbrosensis familiae in electum, & assumptum Pontificem hilaritate, ac voluptate: quae cuncta per se sunt iucundissima, & ad hanc hilarem gratiarum actionem, quam solenniter agimus, & celebramus aptissima, atque accommodatissima. Sed meo inest nihilominus praeconceptae, ac praehabitae laetitiae cumulo ( vt saepe humanis rebus accidere solet ) non modica perturbatio concussio, atq; depressio, me tali, ac tanto oneri (prae nimia virium mearum imbecillitate ) non posse ex animi sententia respondere. Meus tamen hic animus ( Ah quid meus dixi? sed tuus potius, tuòq; Praesidentium regimini, ò mihi Vallimbrosana plurimis nominibus nuncupanda Religio ) quid nunc erga tantum Pontificem summum gratitudinis, obsequij, officijq; adijcere, & conferre valeat attentabit. Adeste igitur animis omnes, vt adestis corporibus,*

*ac*

*ac quæso Deucalionis factum imitemini, ille lapides in mollia membra manu mutabat sua; vos inculta, ac rudia quasi saxea verba mea in roseam; suauemq; orationem humanitate, ac benignitate vertite vestra.*

*Cum à nobis cælestis ille fulgor, calorq; solis recedere incipit tunc claré aspicimus omnia quodámodo statim exanimari, exsiccari, absumi. Terra suis omnibus ornamẽtis spoliatur, folia ex arboribus decidũt, herbæ exarescũt. Cum verò iam sol propius ad nos suo aurato accedit curru, ecce iam rerum omnium incredibilem quandam, ac mirificam alacritatem, & exhilarationem. Iam pigra tellus se se aperit, & ridet, iam herbas virentes, flores amænissimos, fructus suauissimos emittit, & quo magis ardentis solis igneus inualescit calor, tantò maturiores, atque vberiores fruges eduntur, & emittũtur. Præclaro narrata luminis fulgescunt splendore, si nunc ad Leonis XI. fælicissimæ recordationis velocissimo, ac citissimo diræ mortis impetu præproperum occasum, & ad Paulum V. illius fælicissimum successorem oculos extollamus. Nam, quod caliginis, ac tenebrarum vrbi, & orbi alterius celerrima, ne dicam repentina impressit mors, illud splendoris, ac lucis alterius restituit institutio: quodq; decoris, & ornamenti Leo recedendo, secum abstulit, illud Paulus accedendo reportauit; quæq; demum defloruere, atque exaruere inopinato Leonis recessu; eadem hoc verno tempore Pauli iucundissimo floruerunt, ac viruerunt accessu. Neq; hoc in admirationem, stuporemq; adducere nos debet; quia si Leo XI. quasi senio confectus amplissimis liberalitatis, ac magnificentiæ muneribus aurea alterius Leonis auspicabatur reducere, ac renouare sæcula, quid spei in Paulo V. viuidioris ætatis, robustiorisq; corporis*

poris

*poris optatissimis naturæ donis apprimè exornato præconcipere, ac præcogitare debemus? nisi vt ipse eò magis, ac magis inualescat, corroboretur, & pinguiores, vberioresq; non tantum liberalitatis, ac magnificentiæ, sed gubernationis, ac protectionis fruges ardentioribus radijs Vrbi, & orbi afferat, & producat. Has purpuratorum sacratissimus Senatus pro totius mundi optimo, & monarchico regimine vberrimas ex eo colligendas congregandasq; credit, speq; afficitur certissima. Has & Vniuersæ Christiani nominis gentes, ac nationes vt optant, ita maximè sperant, atque expectant. Et indè confidunt, permanentq; certa in sententia cum Paulus V. veluti alter Paulus vas electionis, diuino, ac propè incredibili dei optimi maximi beneficio potius, quã humana opera, vel industria, aut mortali consilio, prudentiàue sit eis in Pontificem datus, atq; electus. Diuina etenim beneficia plerumq; ampliora, & munificentiora sunt humanis desiderijs. Idq; est in causa, vt quamquàm (Beatissime pater) celsitudinem, atq; exaltationem quàm maximè cupiui & exoptaui tuam, eandem tamen non valeo pro dignitate ad sublimia æthereaq; extollere sydera: nisi meum à diuina manu foueatur, tegaturq; desiderium. Siquidem præstantium tuarum laudum generosa, illustriaq; encomia tot tantaq; sunt, vt ego planè fatear, mearum, imo humanarum non esse virium, nec ingenij, illa nunc apud micantissimum tui numinis fulgorem, quem absentem, tanquam præsentem alloquor, verborum apparatu, argumentorum genere, vel amplificatione consequi. Nam quæ mens (excelsi patres) ex æquo venerari potest Pontificem immortalibus præconiorum titulis decorandum? Pontificem, qui ad ipsam dignitatis Pontificiæ sedem apposite vi-*

*detur natus, & educatus? Pontificem, cuius altitudine con filij, nihil est tàm arduum, tàm difficile, tàm profundum, quin facillimè, atq; expeditissimè concludatur, & perficiatur? Pontificem, cuius ingenij vis, & celeritas nulli unquam mortalium videtur fuisse concessa? Pontificẽ, cuius loquendi, & pronunciandi maiestas humanam conditionẽ quàm longissimè superat? Pontificem, quem deus nobis præbens, singulari quadam hoc sæculum beneficentia est prosecutus? Pontificem, cuius doctrinæ splendor, & maiestas tanta est, vt sicut nomen eius, ita & laus eius? Pontificẽ, quo sospite (vt constans est hominum opinio) reip. Christianæ imperium fœlix, faustum, fortunatumq; vigebit? Verumenimuero (quod meæ superest exiguitati, ac paruitati) eius beatissimam dignitatem, celsitudinèmq; quanta maxima veneratione possum humillimè genuflexus, prostratúsq; saluto, ac mente integra, veràq; fide colo, atque obseruo. Insuper lætissimam, ac beatissimam omnium hodiernam censeo diem, in qua eius sanctissimam Maiestatem inter fælicissimos, & cælestibus persimiles ordines in sublimi solio, & excelsa magni sede Tonantis ornatu Pontificio collocatã, & assidentem, ex hac pulcherrima totius orbis terrarum vrbe Florentiã, quæ lætante cælo, & exultante terra aridum orbem florere facit contemplans, atque admirans, vobiscum, nobilissimi auditores, præconceptum gaudium, letitiamq; communico. O vtinam mihi modò vel Ciceronis, vel Demosthenis ornata suppeteret facundia, elegansq; Roscij pronunciatio, quibus ex debito narrare, & explicare possem suauissimos eius mores, optimam, & pulcherrimam corporis formam in figura mortali diuinitatis immortalis speciem præ se ferentem, singularem modestiam, clementiã,*

*religionem*

*religionem, affabilitatem, integritatem, fidem, æquitatem, constantiam, fortitudinem, admirabilem in rebus gerendis vigilantiam, insignem in maximis negocijs dexteritatem, sacrarum legum eminentiam inauditam animi magnitudinem cum maxima liberalitate coniunctam, temperantiā, heroicam (ut habet fama, quæ nō solet errare) virginitatis virtutem, qua excultè sicut diuus pollebat, & radiabat Paulus, ita & sanctitas eius, illa eadē virtute, illo eodem nomine singulariter studuit, & curauit pollere, ac radiare. Ob id igitur benignissimus, & clementissimus deus Ecclesiam unicam sibi dilectissimam spōsam, & virginem sponso, & virgini dedit, & cōmendauit. Cōmendo & ego in tāta hodiernæ festiuitatis solennitate, excelsas eius Originariæ Senarum urbis laudes, quas præ cæteris libentissimè, si modò daretur tempus, ut datur animus, extollerem in Guidum Bandinellum, Ramundum Ptolemæum, Antonium Petruccium scientiæ militaris spectatissimos, & magnis comparandos imperatoribus. Extollerem in Ioannem Columbinum Bernardum Ptolomæum, Patrem Stephanum inclytos sacrarum Religionum antesignanos, quorum primus Iesuatorum, alter Montisoliueti, tertius Canonicorum Regularium sancti Saluatoris institutor fuit. Extollerē denique in Alexandrum Tertium, & duos eiusdem nominis Pios Pontifices maximos, qui admirabili vigilantia Maiestatem sanctissimæ sedis tam egregiè, tam honorificè, tam gloriosè tutati, eiq; patrocinati sunt, ut etiam nūc omnium vocibus ipsorum nomina concelebrentur, exaltentur, maximaq; in gloriæ fama versentur. Commendo, & præclara nobilissimæ familiæ eius Burghesiæ encomia, ac precipuè miras, & egregias excellentissimi Marci Antonij*

*Patris eius, primarij in curia Romana aduocati, prærogatiuas notandas, æternæq; memoriæ prodendas disertis oratoribus, ac fidelissimis scriptoribus: ipsi enim politiori, & elegantiori conscribent, exornabuntq; stylo, Quomodo à tam pauperum defensoria, & feraci planta hisce nostris fælicissimis diebus summus floruerit truncus, qui omnium totius orbis pauperum esset futurus protector, atq; acerrimus propugnator: Quomodo ex eadem nobilissima arbore alij virides, & pulchri filiorum pullulauerint rami: Quomodo illorum sublimitas, & excellentia explicanda, lucidioriq; cãdori sit reddenda: Quomodo magna litteratissimorum hominum in ipsa semper affluxerit copia: Quomodo eximij clarissimorum virorum tituli distinguendi, & adnotandi: Quomodo longa amplissimorum Magistratuum series texenda, quibus hæc semper Burghesia domus magnis coruscæ lucis radijs emicuit, atq; refulsit. Vnde & commendo veracissimis Historicis, versatisq; Romæ aulicis publica munera Auditoratus Apostolicæ Cameræ, Prolegationis Bononiæ, Episcopatus Esinensis, & Nunciaturæ, vt dicunt, extraordinariæ, in qua non nisi ardua, atq; inuoluta resoluuntur, apud potentissimum Catholicæ fidei defensorem Philippum secundum Hispaniarum Regem, ab eo diligentissime, ac religiosissime peracta: Quid enim? talem in huiuscemodi muneribus, & arduis legationum functionibus se præbuit, ac demonstrauit, vt ad sacri principatus Cardinalitij culmen ipsum nunquam interituræ memoriæ Clemens Octauus, qui non nisi maximè idoneos ad Ecclesiasticas dignitatum celsitudines extollere solebat, promptè, ac libenti animo promouit, atq; assumpsit: Tuncq; eidem Scotici Regni protectionis tradidit prouinciam suam ipsius*

*omnibus*

*omnibus ferè Cardinalium Congregationibus assistentiam, ac summam sui Papatus Vicariam commisit. Quibus in munijs, ac dignitatibus talem seipsum praestitit, qualem sacrae litterae Cardinalem, & Summi Pontificis vicem, & pondus gerentem, ac substinentem postulant, omni integritate, ac probitate ornatum, omnibus ingenij laudibus clarum, omnibus partibus, ac numeris absolutum, & ita absolutum, & vndequaq; perfectum, vt in eo nihil quod reprehensione dignũ sit, reperiatur. Ob id sacratissimus totius orbis senatus viginti ab hinc dies ad altissimũ Petri Thronum vnanimi, concordiq; voto, Deo Optimo Maximo sic intus inspirante, ac mandante, extulit, atq; exaltauit. Quem enim tempestate hac in tam eminenti sede opportunius, ac dignius collocare poterat, Nisi illum, quem à primis annorum curriculis caelestem in terris vitã semper egisse manifestissimè constat? Nisi illum, qui propter sublimem honorem, & excelsum omnium dignitatum culmen non inflaretur, nec humanae conditionis obliuisceretur? Nisi illum, qui non ob diuitiarum exuberantiam maiorumuè fauores, aut amicorum postulationes sed ex sola virtute, ac sapientia, quibus Romana Ecclesia maximè indiget, in Petri Cathedra collocaretur? Nisi illum, cui vere accidit, quod olim M. Catoni accidisse traditur, qui quò minus gloriam petebat, eò magis, illam assequebatur? Nisi illum, qui omnibus virtutibus redimitus ad defendendam, tutandamq; Romanam Ecclesiam esset animo infracto, atq; inconcusso? Nisi illum, qui pro eadem Ecclesia varijs itineribus per diuersas mundi prouincias omnem suam iuuenilem aetatem in magnis laboribus, difficillimisq; casibus consumpsit, atq; contriuit? Nisi illum, qui statim suscepto Pontificatus*

*catus munere, ea quæ expeditionis grauioris celerem deside rabant executionem curaret, atq; conficeret? Sicut iam, vix dum pontificijs comitijs expletis, ingenti pecuniarum collatione parata, in opportunum imperatoris Rudulphi subsidiũ contra immanissimos Turcharum impetus, sibi, totiq; Romanæ curiæ fallacium honorũ impensas detrahens, largissimè est executus? Res quidẽ adeò illis hoc tempore grata, atq; exoptata, vt mihi iam ipsos audire cum psalmographo lætissimè cantare videar. Annus redemptionis, Annus benignitatis nostræ aduenit. De hoc illustrissimo sacrorum Senatorum ordine, qui talem Pontificem nobis elegit, mihi nũc plurima honoris, & gloriæ plena essent celebranda, & extollenda; Sed tenuitatis meæ mihi conscius, mea gracili auena, rudiq; oratione non audeo in tam latum, omniq; florum virtutis genere refertum ingredi campum præsertim hac eadem hora, qua præpotenti Deo solennia gratiarum vota sunt persoluenda. Hoc vnum in præsentia dicam. Cum optimum, sanctissimum, & omni virtutum genere clarissimum in Romanum Pontificem elegerint, tutò cõcludi posse videtur, cunctos esse optimos, sanctissimos, & omni virtutum genere clarissimos. Similes enim similes fouent, diligunt, adiuuant, & amplexantur. Pro qua electione licet Florentia hæc nostra, Italiæ Flos, & orbis terrarũ theatrum, ex suis vicinis amænis, & vitibus, & oleis consitis collibus, situ communito, & ad aspectum præclaro, cæli benignitate, & clementia, agris fæcundis, hortis irriguis, magnificis templis, ædibus, firmis ianuarum propugnaculis, amplis mænibus, populi frequentia, artibus, mercaturis, ingeniorum acumine, bellica militum virtute, Academiarum Etrusci sermonis elegantia, scientiarũ, & virtutũ omnium*

*splendore,*

*ſplendore, nobilium magnificentia, ac ſui Sereniſs. Mag. Ducis inſignis potentiæ magnitudine, lacrymis obruta, mærore confecta, animo conſternata proprio orbata parente Leone ſilicet x 1. tunc eſset intenta, & occupata circa eiuſdem luctuoſum, ac deplorandũ funus, (quale mundus antea ſimile, ex lugubri funaliũ vnde quaque in prælto ingentiq; rogo magnificentia forſitan nec vidit, nec cognouit) Nihilominus Pauli V. ſtatim audito creationis fæliciſſimo nuncio. relicto plantu, ſqualore depulſo, mærore dimiſſo, lacrymis, gemitibusq; exiccatis ſe ipſam eiuſdem Leonini gaudij, ac lætitiæ clariſsimis induit, & ornauit ſignis, pro comperto habens Leonẽ x 1. phænicis more in Paulum V. vitalibus auris fuiſſe reſtitutum. Quapropter Sereniſs. Mag. Dux Ferdinandus ciuitatem illicò ingreſſus, animiq; alacritatis, ac lætitiæ plenus, ſuas pluribus diebus munitiſſimas conſtituit arces tonitrua æneorum tormẽtorum ingenti omnium applauſu emittere; ignes in regiones aereas effundere artificioſos; plateas, & palatia claris collucere ignibus, crebris micare fulgoribus, atq; luminibus, & grato tubarũ, & campanarum circumſonante clangore, alijſq; letitiæ ſignificationibus, & argumentis læta, ac feſtiua reducere vniuerſa. Iſtis tunc in gaudiorum iucundiſsimis cancellis animo meo lætiſsimè exultante, ad luminum, & vniuerſorum patrem, a quo omne donum perfectum prouenit, oculos leuaui, Regioq; cũ propheta dixi. Benedic anima mea domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Quod.n. precibus, atq; hoſtiarũ ſacrificijs de antiquo Eccleſiæ more antea omnipotẽtẽ Deũ rogaui, nẽpè, vt cito bonũ, ac iuſtũ ſuæ eccleſiæ ſuſcitaret paſtorẽ ecce iã ſumus cõſecuti. Nã Camillũ ſuſcitauit, qui ſicut rei ſacræ ſeruulũ fert eius nomẽclatura,*

*ita, et nũc di-*

*diuino annuente, & approbante beneplacito, seruus seruorum Dei effectus est summus. Quam quidem egregiam Dei seruitutem apertissimo omine præmonstrare, atq; insinuare poterant præclara illa armorum Aquilæ, & Draconis ipsius insignia. Altiuolans enim volucris celorum fores Petri clauibus pulsaturum, atq; aperturum præsagiebat; ipsumq; apud inferos Tartarei regni vires inuasurum, nec hostis humani generis legiones contra eum esse præualituras. Camillus etenim ex Ardea (si Latino credimus poetæ) Aquilæ alas pedibus adiungens Imperatorem veluti Draconem cum suis militibus ex arculis Romani Capitolij preciosissima quæq;, atq; augustissima deportantibus, insequens fortiter oppugnando, ac vulnerando confodit, atq; prostrauit, & Capitolium, patriàmq; incolumem suis restituit. Vndè auguror ita Pontificem nostrum, Baratri reuincto Dracone, apertis indeficientibus Indulgentiarum thesauris, Christianos omnes in Empyreum veri, triumphalisq; Capitolij, vrbisq; cælestis Hierusalem fæliciter esse introducturum. Confirmant opinionem hanc meam, & meridiana luce clarius comprobant nominum ipsius interpretationes. Si quidem Camillus (vt iam audistis patres) ministrationem ostendit sacram, & restitutam denotat salutem. Paulus rem significat excelsam, atq; mirabilem. Quintus tum ratione numeri duos continens binarios, tum eo insignitorum nomine quiddam magnum insinuat, atq; declarat. Nec ex his vlla nos inuadat admiratio, cum ipso Christo domino approbante, quando dixit Petro, & tibi dabo claues Regni Celorum, sit vnicus totius vniuersi Princeps, & summus (Apostolo teste) Pontifex ex hominibus assumptus, & pro hominibus constitutus in his, quæ sunt ad*

*Deum*

Deum, vt ipsi nos conciliet, illumq; iratum placet. Est enim sacerdos magnus, qui in tempore iracundiæ factus est reconciliatio, & pro Deo in terris Monarcha, in quo omnes, vt in glutino quodam partium ad corpus mysticum copulamur, & in quo singuli vt membra sub vno eodemq; capite gubernamur, atq; illuminamur. Quare ab vniuersis Christianorum cœtibus nunc de tanto, ac tali summo nobis à diuina prouidentia opportunè concesso Hierarcha altissimo Deo ingentia gratiarum dona sunt referenda. Ne nobis illæ sacrarum scripturarum redargutiones obijciantur. Non glorificauerunt Deum, nec gratias egerunt. Populus verò meus oblitus est mei diebus innumeris. Obliti sunt Deum qui saluauit eos. Omnes igitur gentes plaudite manibus, & cantate Domino canticum nouum, quia Deus nobis præbens Paulum, id est, mirabilem, mirabilia fecit. Tu vero præcipuè mecum Vallimbrosanum Collegium gaude, letare, exulta, ad sydera sustolle palmas, lauda, solennibus votis cœlum onera, gratias age Deo, & Patri, & quidem in hac die tua, ac letissima, & fælicissima sanctissimæ Trinitatis diè à me opportunius, & deuotius exoptata, & à Reuerendiss. Præside Generali nostro D.D. Prospero Bonmatheio libenter data, vt illo eodem die, eidem summæ Maiestati gratiæ agerentur, ac soluerentur maiores, à qua nobis proximis diebus noua progenies cælo demissa fuit, & eiusdem Ecclesiæ suæ artificiosissimi parietes viridi fronde, pulcherrimis abietum ramis, lilijs, rosis, ligustris, & alijs suauissimis florum generibus, pictisq; diuersorum colorum tapetibus essent exornati, cantoresq; musicis symphoniæ instrumentis sonoras, prædulcesq; sacrarum laudum extollerent voces, multitudo gentium inundaret, & ego celebriorem,

& solenniorem ex hoc suggesto, gratiarum haberem, & colerem (vt meis erat in votis) actionem. Huius enim semper piæ sententiæ fui: non decere in communi omnium lætitia nostram hanc Vallimbrosensem Religionem Apostolicæ Sedi multis obstrictam beneficijs, maximis decoratam prærogatiuis, insignitam priuilegijs tacitam, ac mutam in profundo versari silentio, imò gestientem, miroq; perfusam gaudio maximè condecebat lætari, exultare, & gratias immortales Deo agere: ita enim piè, & sponte susceptum me existimabam perficere munus, si Deo in primis lætissimè beneficia ferenti debitum fructuum à nobis gratiarum, & laudum solueretur pensum. Si vnitati Ecclesiæ optimum gratiarum, quæ in omnibus, (Apostolo teste) sunt reddendæ ad memoriã reuocaretur exemplũ. Si Illustrissimo & Reuerendiss. Cardinali Iustiniano nostri ordinis Protectori vigilantissimo, & integerrimo aliqua iterum spiritualis adderetur consolatio. Si paruulam Apostolico Pastori, iam pridem publicos Lecturarum mearum Ticinenses labores honorificè extollenti, aliqua ex parte gratitudinis ostenderẽ significationem. Si deniq; in hac nostra frequentissima Ecclesia non nullæ pro Pontifice summo nuper electo precum orationes funderentur speciales, ac sacrificiorum immaculatæ offererentur oblationes: præcipuè cum per continua plurium annorum spatia, atq; curricula à præfata Apostolica Sede duos Cardinales, & Episcopos, in sanctorum fœlicissimum relatos numerum, obtinuerit, Petrum silicet Igneũ, & Bernardum Vberthiũ cũ plurium Episcoporum, ac beatorum numerosa phalange, in qua miro decoris extollitur triumpho Beatus Acto olim Pistoriensis Episcopus, cuius diuini officij solennitas nouissimè in eadem Pistoriensi Eccle-

sia

*sia quindecim ab hinc dies, summis honoribus fuit celebrata & à Reuerendiss. Episcopo, Canonicis, nostris Abbatibus, Magistratibus, ac, vt vno verbo dicam, à tota ciuitate finitimis, & adiacentibus populis religiosissimè obseruata. & sanctificata. Sanctificamini & vos vniuersæ al gentes, & mecum trium Puerorum more in ardent nica fornace vocemus, & appellemus creaturas omn defectibus vices suppleant nostras, & nobiscum bened. & laudent, & superexaltent eum in sæcula. Hæc mihi ... nerunt in mentem, de quibus vobis, humanissimi auditores, pro electione Beatissimi Pont. Pauli V. congratularer: quæ si verbis, & oratione non satis expressa & declarata sunt, æquo, ac piò excipite animo, illius dicti memores in magnis non rei exitum, sed facientis voluntatem spectari solere. Reliquum est modò, vt precibus à Deo Opt. Max. omnium bonorum authore enixè contendamus, hæc hodierna orationum solennia vota, ac sacrificia pro obtento tanto Pontifice summo, læto, ac benigno dignetur aspicere intuitu, atq; ei quietum fælix, & tranquillum regiminis principium medium & finem largiri, & omnia prosperè, omnia fortunatè, omnia beatè agere: Nestoreos insuper annos concedere, inimicorum Ecclesiæ humiliationem dare, hæresum destructionem, & præcipuè in inclyto Britaniæ regno, quod iam in veri Dei cultu mirè florebat, omnimodam extirpationem, & annihilationem tradere; Nobisq; vniuersis gratiam, & fauorem communicare, quo iucunditatem, lætitiã, & exultationem, quam de illius suscepimus creatione, possimus conuertere, non ad conuiuia, ebrietates, tripudia, & alia id genus corporis oblectamenta, sed ad religionem, instructionẽ, iustitiam integritatem, innocentiam; Ad ferẽdam laboran*

tibus

*tibus opem, ad subleuandos oppressorum labores. His enim virtutibus omnipotens placatur Deus, qui ita placatus, & redditus beneuolus omnem huic Pontificatui pacem, tranquillitatem, & fælicitatem cumulatissime concedet. Pro qua orate, atq; iterum orate, & reliquas gratiarum actiones inchoate. Sic enim procul dubio succedent omnia, quæ nos humillime Deum Opt. Max. nostris votis Rogauimus*

*Dixi.*





